



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Item longè infrà in eodem Chronico.

Eodem anno (1138.) in die sancto Parasceues post matutinas apertū est sepulcrum S. Disibodi Episcopi quondam in Hibernia, qui pro Christo peregrinus in mundo factus, mansionem in Comitatu Spanheimensi, ordinante Domino, elegit, ibiq; monasterium nostri Ordinis non multo post obitum sancti patris nostri Benedicti, in vertice montis fundauit: in quo multitudinem monachorum congregans, ibidem post completum vitæ cursum in Domino quiescens, sepultus est. Hoc verò monasterium, nimia antiquitate collapsum, per Vuillegisum Archiepiscopum Moguntinum de nouo constructum est circa annos Domini nongentos septuaginta sex, & postea, sicut diximus, per Adelbertum Archiepiscopum & Ruthardum eius prædecessorem, anno Dominicæ natiuitatis millesimo centesimo octauo translatus in montem de nouo fundatum. Quo tandem consummato, tumba sancti præsulis Disibodi, quam Vuillegisus Archiepiscopus clauserat, aperta est, & reliquiæ in nouum monasterium translatae, retrò maius altare in nouo sacrophago recondita sunt. Huic translationi fuerit præsentis Cuno, ipsius loci Abbas, cum tota cõgregatione sua: Bernhelmus, primus Abbas monasterij mei Spanheimensis cum tota congregatione sua, quia non procul distant abinuicem: Gerardus, Abbas S. Maximini Treuirensis, & plerique ex Clero & nobilibus terræ Comitatus.

Monasteriū
S. Disibodi
verustissimi-
mum.

VITA ET MARTYRIVM S. CYRILLI EPISCOPI,

PI, VT HABETVR IN EGREGIIS MS. VOLVMINI-

*bus, quibus antiquissima Martyrologia suffragantur. Dictionem
elimauit F. Laurentius Surinus.*



ANCTVS Cyrillus, cuius fides apud Deum probatis Iulij 9.

sima est, & in omnibus declarata, comprehensus à Lucio Duce, sacrificare cogebatur. Is cum adhuc puer esset, & adhuc puer, præclara de se dat exemplum.

in Domino bene consideret, crescebat in actibus bonis. Vbi cumq; didicisset esse Dei famulos, relictis parentibus, ad illos se adiungebat, vt audito verbo Domini, in fide confirmaretur. Cum autem ad legitimam peruenisset aetatem, & creatus esset Episcopus, semper in sermone & opere proficiebat, perseverans in fide Domini & in Episcopi functione annos quinquaginta. At vbi octogesimū & quartum ætatis egit annum, cum iam populum ipsi

creditum rectè instituisset, multosque ab errore reuocasset ad veram & religiosam fidem, comprehensus à Lucio Duce, vt diximus, sacrificare iussus est. Sed vir beatissimus præcepta Domini illi opponens, dicebat: Sacrificans dijs, & non Deo vero, eradicabitur. Dux ait: Consule ætati tuæ senex, & sacrificia. Cyrillus respondit: Ego non sum senex. Dicit enim Dominus: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quod autem tu hortaris, id mihi facere non licet. Dux ait: Audio te virum esse prudentissimum atque doctissimum. Te ipsum ergo docens, respice & offer sacrificium, vt possis saluus fieri. Cyrillus respondit: Ità nimirum prudentissimus & doctissimus ero, si alios docens, ipse reprobus non inueniar. Dux ait: Consule senectuti tuæ & sacrificia. Cyrillus respondit: Equidem tum mihi consulero, si hæc filijs meis, qui me circumsistunt, in me exemplum statuero.

Cumque diu inter se concertarent, & beatus Cyrillus diuinis scripturis os Ducis comprimeret, vt ei respondere non posset, videns Dux penè omnem populum eius doctrina conuersum, furore percitus, hanc in eum tulit sententiam: Cyrillum insanum & delirum, & ex propinquo euersorem deorum nostrorum, viuum iubeo flammis exuri. Tum verò sanctus Dei Cyrillus gaudens & psallens, perductus ad rogam, mox in medium coniectus est. Ardebat ignis, & ligna omnia in cineres redigebat, expectabantque viri religiosi, vt ossa eius fideliter colligerent: & ecce vir beatus conspicitur in medio sedens, expansis ad cælum manibus. Eo signo viso, increduli stupore correpti, mirabantur sanctum Dei hominem ab igne mansisse intactum. Fecit hoc spiritus sanctus, non ignorans permultos eius opera ab errore ad Deum conuerti. Nunciatur vero Duci, venerabilem virum nihil ab igne perpersum. Dux summopere

Multi ad
Dominum
conuertuntur.

Ignis nihil
sanctum vi-
rum lædit.

admirans, iussit eum ad se adduci: utque vidit eum sanum & incolumem, laudans Christianorum Deum, præcepit ut domum se conferret. Non cessabat autem Christi seruus prædicare verbum Domini, propositisque amplissimis regni caelorum promissionibus, quosdam ab ethnicismi erroribus ad viam veritatis traduxit: plerosque vanam sectantes vitam, ad sobrietatem & temperantiam retraxit: plangebat verò & lamentabatur se à Domini passione mansisse alienum. Turbæ autem doctrinam eius audientes, vna omnes fide eademque voluntate ad eum accurrebant: (putabant enim vel solo conspectu eius se posse iustificari.) iactantesque se ad pedes eius, ita dicebāt: Credimus in Deum tuum, qui reuera magnus est, quando te de igne liberauit.

Lamentabatur se à passione ereptum.

Multos baptizat. At ille lætus in Domino, excipiebat omnes, Christianosque eos efficiens, baptizabat, dicebatque eis: Confortamini filioli mei, & fideles estote ei, cui credidistis, & ipse vobis in omnibus adiutor erit, præstabitque maiora spe & expectatione vestra. Hæc eo agente, Iudici nunciatur, quid ab illo geratur. Ille incensus ira: Cur, inquit, quadam in illum humanitate usus sum? Cur illum ex igne eduxi? Cur meo illum gladio non confeci? At nunc porro de iustitia nihil remittemus. Alteram igitur in eum sententiã ita pronunciat: Cyrillum, quem de igne ereptum, iustitia viuere non patitur, gladio feriri iubeo. At vir beatus gaudens & laudans Deum, quod ipsum à nequissimo iudice liberatum, dignum quandoque effecisset passione sua, caput vltro offerens, cædente gladio, spiritum reddidit, sexto Idus Iulij, sub Decio Imperatore & Lucio Duce: regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Gladio percussus occumbit.

MARTYRIVM S. ANATOLIÆ VIRGINIS, EX ANTIQVIS MS. CODICIBVS DESCRIPTVM, CVI CONSENTIUNT ETIAM VETVSTISSIMA MARTYROLOGIA. Stylum nommibil expoliui.

Iulij 9.



Dæmonem expellit.

ANCTA Anatolia cum se ieiunijs & precibus maceraret, & die ac nocte scripturis sanctis intenderet, atque in suo exilio ita exultaret, ut sibi videretur Paschatis festiuitate gaudere: contigit filium Diodori, qui erat consularis prouinciæ, nomine Anianum, à diabolo vexatum, clamare: Domina Anatolia, incendis me. Interea Diodoro, homine cum primis pagano, cum per lucos & templa mittente, venit ille ad lucum vicinum S. Anatoliæ, dirumpensque catenas, quibus erat cõstrictus, ante orantis Anatoliæ pedes se abiecit, dicens: Tu es, quæ me flammis orationum tuarum exuris. Porro S. Anatolia exufflauit in eum, & ait: Exi diabole ab homine isto, & statim exiit ab eo. Cumque ille sanus venisset ad patrem suum in fascibus positum, isque agnouisset eum curatum à S. Anatolia, abiit ad eam cum vxore sua & filijs: adoransque eam, obtulit ei infinitas pecunias. Sed S. Anatolia nihil penitus accipiens, dixit: Vade, & egenis Christianis atque inopibus erogata: tu verò crede in Christum vnã cum tuis, & liberaberis.

Morbidos multos sanat.

Exiit verò opinio S. Anatoliæ per totam Piceni prouinciã, & deferebantur ad eam infirmi, quos medici desperabant, & lunatici, & dæmonijs pleni, & omnes sanabantur, credentes in Christum. Interea templorum Pontifices suggerunt de ea Decio Imperatori: isque misit, qui eam interficerent, si sacrificare nollet. Itaque veniens ad eam Faustianus, iussit eam perducì ad ciuitatem Thuriensem, atque illic introductam in secretarium ipsius, diuersarum plagarum genere vexari: ac deinde suspensam in eculo, lampadibus aduri. Interrogabat autem eam, num thura vellet dijs incendere, & libera abire, quò visum esset: Illa respondit, Miser & infelix, si non recesseris à cultura dæmonum, vnã cum illis perpetuo incendio cruciaberis. Vocauit igitur Faustianus ad se Marsum, & dixit ei: Ego hanc iubebo includi in cubiculo: tu verò immitte serpentes in eam, qui eam comedant, & multa à me accipies, & in amicis meis numeraberis. Respondit Marsus, qui Audax dicebatur: Tu multos serpentes dicis: ego verò vnum solum dimittam, & statim interficiet illã. Cum ergo Anatolia in angusto cubiculo inclusa esset, Marsusque serpentem in illud immisisset, tota nocte sancta virgo in hymnis, psalmis & orationibus durans, acerrimum serpentem illum mansuefecit. Mante facta, Marsus Mercurium & Mineruam inuocans, cubiculum aperit: & ecce serpens in eum inuolans, collum eius cingit, comedere eum volens. Sed sancta Anatolia manu

Dire cruciatur.

Serpens nihil ei nocet.

manu

manu sua serpentem compræhensum, in nomine Domini Iesu Christi iussit abire in locum suum: quod ille mox cum summa mansuetudine fecit. Eo viso, Audax Marfus adoravit eam, dicens: Verus Deus Christus est. Magnus credit.

Vt autem rescivit Faustianus Marsum Christum confiteri, illi ad se accito ait: Si illa magicis artibus serpentem à se depulit, num tu propterea, in deorum contumeliam, Christum Deum credere debuisti? Audax dixit: Ego Christum verum Deum credo, quem illa inuocans, serpentem atrocissimum à gutture meo sua manu abstraxit. Faustianus ait: O te miserum: Habes auri & argenti plurimum, habes familiam copiosam, habes vxorem & liberos: & his omnibus posthabitis, mori non times? Audax respondit: Ego scio & comperi virtutem nominis Christi, & idcirco mori iam non timeo. Non vides, quam à me feram eius nominis inuocatio profligari? Faustianus ait: Relatio fiet de te, & ea efficiet, vt eandem cum Christianis sententiam excipias. Missus igitur Audax in custodia, dum iret relatio, & venirent responsa, agente S. Anatolia, interim Christiana religione initiatus est, ac deinde pro Christi nomine capite damnatus est. Constantia magi.
Capite caditur.
S. Anatolia confoditur.

Porro S. Anatolia, extensis manibus stans ad orationem, ità gladio transfuerberata est, vt à dextro latere vsque in sinistrum confossa cerneretur: atque hoc exitu triumphantem Christus excipiens, & virginem sacratissimam sibi & martyrem consecrauit. Ciues autem Thurienses rapuerunt corpus sanctæ virginis, & vbi reuelatum eis fuit, illud humarunt, vbi benedicitur Deus ex eo & nunc & in secula seculorū, Amen. Percussa est autem virgo sacratissima Anatolia 7. Idus Iulias, obiit autem sexto Idus mensis eiusdem. Audacis autem martyris corpus vxor & filij eius tulerūt, & nauigantes, omnia sua absportarunt, simulque gesta beatæ Anatoliæ virginis, quæ in hoc libello scripta sunt, & finem Audacis martyris, Amen.

MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET VII. FILIORVM EIVS, AB ECCLESIAE ROMANAE NOTARIJS, vt videtur, conscriptum. Habetur in vetustis MS. libris, & antiquissima Martyrologia consentiunt.



TEMPORIBVS Antonini Imperatoris orta est seditio Pontificum, & Felicitas illustris fœmina cum septem filijs suis Christianissimis tenta est. Quæ in viduitate permansens, Deo suam vouerat castitatem, die noctuque orationibus vacans, magnam de se ædificationem castis mentibus dabat. Videntes autem Pontifices præconia Christiani nominis per eam profecisse, suggererunt de ea Antonino Augusto, dicentes: Contra salutem vestram mulier hæc vidua cum filijs suis dijs nostris insultat: quæ si non venerata fuerit deos, sciat pietas vestra, deos nostros sic irasci, vt penitus placari non possint. Tunc Imperator Antoninus iniunxit Præfecto Urbis Publio, vt eam compelleret cum filijs suis deorum suorum iras sacrificijs mitigare. Publius itaq; Præfectus Urbis iussit eam priuatim adduci, & blando colloquio ad sacrificium eam prouocans, minabatur poenarum interitum. Cui Felicitas dixit: Nec blandimentis tuis resolui potero, nec terroribus tuis frangi. habeo enim spiritum sanctum, qui me non permittit vinci à diabolo: & idcirco secura sum, quia viua te superabo! & si interfecta fuero, melius te vincam occisa. Publius dixit: Misera, si tibi suaue mori est, vel filios tuos fac viuere. Felicitas respondit: Viuent filij mei, si non sacrificauerint idolis. Si verò hoc tantum scelus admiserint, in æternum ibunt interitum. 10. Iulij.
S. Felicitas nuncupat Deo votum castitatis.
Fortitudo animi eius.

Alia die Publius sedit in foro Martis, & iussit eam adduci cum filijs suis, cui & dixit: Miserere filijs tuis, iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus. Respondit Felicitas: Misericordia tua, impietas est: & exhortatio tua, crudelitas est. Et conuersa ad filios suos, dixit: Videre filij cælum, & sursum adpicite: ibi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete. Audiens hæc Publius, iussit eam alapis cædi, dicens: Ausa es, me præsentem, ista monita dare, vt dominorum nostrorum iussa contemnant? Tunc vocauit Confortat filios suos.